

AUG. dixit: Ut anathemes Manichaeum, cuius sunt tantae istae blasphemiae; sed si ex animo facis, tunc fac . nemo enim te cogit inuitum.

FEL. dixit: Deus uidet, si ex animo facio; non enim homo potest uidere . sed hoc peto, ut confirmes me. 5

AUG. dixit: In quo uis ut confirmem te?

FEL. dixit: Prior tu anathema, ut et ego postea anathemem.

AUG. dixit: Ecce manu mea etiam scribo; uolo enim, ut et tu manu tua scribas.

FEL. dixit: Sed sic anathema, ut spiritum ipsum, qui in 10 Manichaeo fuit et per eum ista locutus est, anathemes.

Augustinus accepta charta scripsit haec uerba: Augustinus ecclesiae catholicae episcopus iam anathemani Manichaeum et doctrinam eius et spiritum, qui per eum tam execrables blasphemias locutus est, quia spiritus seductor erat non ueritatis, sed nefandi erroris; et nunc anathemo supra dictum Manichaeum et spiritum erroris ipsius.

Et cum eandem chartam Felici dedisset, etiam ille manu sua haec uerba scripsit: ego Felix, qui Manichaeo credideram, nunc anathemo eum et doctrinam ipsius et spiritum seductorem, qui in illo fuit, qui dixit deum partem suam genti tenebrarum miscuisse et eam tam turpiter liberare, ut uirtutes suas transfiguraret in feminas contra masculina et ipsas iterum in masculos contra feminea daemonia, ita ut postea reliquias ipsius suae partis configat in aeternum globo tenebrarum, has omnes et ceteras blasphemias Manichaei anathemo.

Augustinus episcopus his in ecclesia coram populo gestis subscripsi.

Felix his gestis subscripsi.

6 Augustinus--confirmem *om. R* ut (*om. b*) te confirmem *PSb* 7 Felix] aug' *R* 8 ecce enī manu mea *b* 13 episcopus ecclesiae catholicae *PSRb* anathematizo *b* 15 loquutus *P* 16 nephandi *R* 18 cartam *T* et ille *R* 24 femina *b* demonia *T* 27 (*et* 29) his *PR* 28 *et* 29 scripsi *R* 29 Explicit liber secundus (*om. R*) beati (*om. SR, sc̄i P*) aureli (*om. TPR*) augustini *ep̄i* (*om. PSR*) contra felicem manicheum *TS fol. 98 P fol. 8 R*